

116. *Peccabit mortaliter tum resignans, tum ordinarius dicto modo conferens.* — Peccabit tamen mortaliter tum resignans, tum ordinarius, in loco receptæ bullæ Piana dicto modo conferens beneficium personæ recommendatæ: ageret enim quilibet eorum contra expressam prohibitionem beati Pii V, in citata, et in suis partibus recepta bulla, sub gravissimis censuris ac pœnis promulgatam et quidem in materia gravi, qualis est beneficiorum.

117. *Constitutio Piana non procedit in beneficiis juris patronatus.* — Solum adde, quod dicta constitutio Piana non procedat in beneficiis juris patronatus: in his quippe de jure communi debet institui presentatus a patrono, dummodo cæteroquin sit idoneus. Atque ita declaravit Gregorius XIII, cujus declarationem refert Pyrrhus Corradus, lib. V, *Praxis beneficiarum*, cap. I, num. 50, vers. *Est tamen*, et Garcias cit. part. XI, cap. III, n. 268.

118. *Ubi ipsa est recepta, nequit episcopus ad concursum parochialis Ecclesiæ admittere suos, vel resignantium consanguineos, etc.* — Petes ulterius occasione § 5, citatæ bullæ beati Pii V: An, ubi ipsa est recepta, possit episcopus admittere ad concursum parochialis Ecclesiæ, in suis manibus resignatæ, suos vel resignantium consanguineos, affines, vel familiares? Resp. negative: prout censuit sacra Congregatio concilii anno 3, beati Pii V, kalendis aprilis; atque ex ejus sententia declaravit Gregorius XIII, ac refert Nicol. Garcias, part. IX, *de Beneficiis*, cap. II, n. 211. Qui tamen illico, numer. 212, subjungit istud non procedere in vacatione per obitum, vel alias; prout fuit resolutum in una civitatis Castellæ, parochialis, 16 junii 1589, coram D. Orano; et in una Favent. parochialis, 28 jun. 1596, coram D. Corduba.

119. *Potest tamen conferre beneficium resignatum uni familiarium sui vicarii generalis.* — Nihil tamen impedit, quominus beneficium in manibus ejus resignatum possit episcopus conferre alicui ex familiaribus sui vicarii generalis, etiamsi comedat cum familiaribus prædicti episcopi. Pyrrhus Corradus, cit. n. 50, vers. *Ex eodem*, addita hac ratione: quia (inquit) familiaritas non contrahitur ex sola commensalitate: sed requiritur, ut adsit animus tam superioris, quam famuli; prout ex Crescentio decis. 15, alias 106, *de Præbend.* concludit Massobrius in *Praxi habend. concurs. requis. 7, dub. 3.*

120. *An facta renuntiatione cum clausula non*

aliter, possit episcopus rejecta conditione, veluti turpi, beneficium conferre, cui voluerit? Sententia affirmativa probatur. — Quæritur II. An facta renuntiatione beneficii in favorem tertii cum clausula *Non aliter*, possit eandem episcopus acceptare, et rejecta conditione tanquam turpi, conferre beneficium, cui voluerit? Affirmant multi doctores, ac præsertim Covarruvias, loc. cit. asserens hanc esse communem sententiam. Rationem dant: quia clausula illa de jure habetur pro non adjecta, cum resignatio in spiritualibus pure fieri debeat. Unde similiter conditiones turpes, aut impossibiles, in matrimonio appositæ, habentur pro non adjectis, cap. ult. *de Conditionib. appositis*. Idem fit in testamentis, ut dicitur l. *Obtinuit. ff. de Condit. et demonstrat.* ibi: «Obtinuit impossibiles conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas,» cum concordantiis. His tamen non obstantibus,

121. *Sententia negativa est probabilior.* — Resp. I. Probabilius est, in dicto casu, episcopum non posse ejusmodi conditionem rejicere, ipsamque resignationem simpliciter acceptare. Ita Rebuffus in *Praxi benefc. tit. de Resignatione conditionali*, n. 7, et seqq. citans alios; Lessius, lib. II, *de Just. et jur.* cap. xxxv, dubit. 14, n. 86; Zæsius, tit. *de Simonia*, n. 73; Barbosa, lib. III, *Jur. Eccles. univ.* cap. xv, n. 46; Garcias, cit. part. I, cap. III, n. 153; Pirhing, h. t. n. 78, et alii plures. Ratio est, quia actus sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, arg. § *Ex conditionali stipulatione. Instit. de Verbor. obligat.* et l. un. § *Sin autem. C. de Caducis tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis, l. *Is cui. ff. de Actionib. et obligat.*, et l. *Legata sub conditione ff. de Condit. et demonstrat.* Ergo in proposito, si conditio rejiciatur, nulla censetur facta renuntiatio; eo præsertim, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. *Non omnis. ff. de Rebus creditis*; Barbosa, axiomat. 12, n. 7. Accedit, quod nullo jure probetur, in tali casu conditionem haberi pro non adjecta: quinimo conditiones de jure, vel facto impossibiles, in aliis contractibus (excepto matrimonio, et testamentis) non vitiantur, nec habentur pro non adjectis, sed potius vitiant contractum; uti liquet ex l. *Non solum. ff. de Actionib. et obligat.*

122. *Solvuntur rationes prioris sententiæ.* — Nec obstant rationes oppositæ sententiæ et

n. 120, allatæ. Ad primam enim negatur assumptum: quia licet de jure resignatio beneficii debeat esse pura; hinc tamen non sequitur, quod si aliqua conditio apponatur, ea habeatur pro non adjecta; sed solum, quod talis resignatio per Papa inferiorem non possit admitti, neque acceptari. Ad allegata jura respondetur ibi sermonem esse vel de matrimonio, vel de testamentis, ubi propter singularem favorem ultimarum voluntatum, et matrimonii, conditiones turpes, aut impossibiles, habentur pro non adjectis: secus est in aliis contractibus, vel actibus, ut est resignatio beneficii conditionalis; prout amplius, tit. *de Conditionibus appositis*, dici solet.

123. *Renuntiatio reciproca, triangularis, et quadrangularis beneficiorum, quid?* — Quæritur III. An licita sit renuntiatio beneficiorum ecclesiasticorum reciproca, triangularis, et quadrangularis? Ubi sciendum, quod per «Renuntiationem reciprocam» impræsentiarum non intelligatur ea, per quam duo beneficiarii causa permutationis vicissim, ac reciproce, resignant sua beneficia in manus superioris (hanc enim esse licitam, patet ex hactenus dictis), sed per «Resignationem reciprocam» hic intelligitur ea, quando plures conveniunt, ut ipsi reciproce resignationem beneficiorum in suos: puta, si ego resigno beneficium meum in favorem tui nepotis, ut tu vicissim resignes tuum beneficium in favorem mei nepotis; prout explicat Lessius, lib. II, *de Just. et jur.*, cap. xxxv, num. 87, atque amplius liquet ex concilio Trident., sess. 23, *de Reformat.*, cap. xv, ubi reprobatur reciprocas resignationes, quæ a parentibus clericis in favorem filiorum fiunt, ut alter alterius beneficium consequatur. Cæterum «Resignatio triangularis, vel quadrangularis» dicitur illa, qua tres, vel quatuor simul resignant sua beneficia, ea conditione, sive pacto, ut primus resignet suum beneficium secundo, et secundus suum tertio, et tertius suum quarto quartus suum primo. His prænotatis,

124. *Tales renuntiationes beneficiorum nequeunt fieri, nisi in manus Summi Pontificis.* — Resp. I. Quandoquidem tales renuntiationes fiant in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*: simulque involvant pactionem quamdam præviam, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ, cit. c. *Quæsitum*, 5, *de Rerum permutat.* Hinc ejusmodi renuntiationes beneficiorum reciprocæ, triangulares, et quadran-

gulares, non possunt fieri, nisi in manibus Summi Pontificis. Ita concilium Trident., cit. sess. 25, cap. xv, *de Reformat.*, reprobans dictas resignationes reciprocas. Barbosa, lib. III, *Jur. eccles. univ.*, cap. xv, n. 120 et 163; Lessius, cit. c. xxxv, n. 87 et 88; Angelus, §. *Permutatio*, num. 4; Navarrus, cap. xxiii, *Manual.*, num. 10, et consil. 43, *de Simonia*; Gonzalez, ad reg. 8 *Cancellar. Gloss.*, 14, n. 58; Carolus Antonellus, *de Regimine ecclesiæ episcopalis*, lib. III, cap. xi, num. 8; Sannig, h. t., cap. v, n. 5, et alii. Huc faciunt dicta superius, n. 108 et seqq.

125. *Quid consilii ita renuntiare volentibus?* — Resp. II. Licet talis permutatio reciproca in favorem tertii, seu triangularis, prævia pactione non possit fieri coram ordinario Papa inferiore, poterunt tamen ita resignare volentes inter se prius tractare, et postmodum simpliciter resignando recommendare suum tractatum superiori, ejusque dispositioni ipsum subijcere. Ita desumitur ex c. *Super eo*, 7, *de Transactionib.*, ac tenet Angelus, loc. cit. n. 4, et favent dicta paulo superius, n. 102 et 112.

126. *Quid consilii ita renuntiare volentibus?* — Insuper poterunt illi, qui triangularem resignationem instituere cogitant, per geminatam permutationem coram ordinario factam, suum intentum obtinere: puta, si ego ex causa permutationis resignem meum beneficium cum beneficio Pauli, atque hoc facto dicitur beneficium rursus permutem cum beneficio Andreæ: sic enim secundus acquirit beneficium primi, sive meum, et tertius beneficium secundi, et ego veluti primus beneficium tertii. Lessius, loc. cit. num. 88.

§ VI.

DE PUBLICATIONE RESIGNATIONIS, HUIUSQUE EFFECTIBUS; UBI ET DE DIVISIONE FRUCTUUM INTER RESIGNANTEM ET RESIGNATARIUM.

127. *Publicatio resignationum, juxta constitutiones apostolicas est facienda; et cur?* — Quæritur I. An, et qualiter publicandæ sint renuntiationes beneficiorum? Resp. I. Attentis constitutionibus Apostolicis, certum est faciendam esse publicationem resignationum circa ecclesiastica beneficia peractarum, et quidem sub forma in eisdem expressa: adeo, quod alioquin provisio de ipsis facta existat invalida, nulliusque roboris ac momenti. Patet hoc ex constitutione beati Pii V, quæ in-

cipit, *Sanctissimus*, et refertur per Flamin. Parisium, lib. XI, de *Resignatione beneficiorum*. in præfatione, num. 3. Quæ quidem constitutio emanavit ad evitandas nonnullorum fraudes, et gravia inconvenientia, quæ ex occultis beneficiorum ecclesiarum resignationibus, et cessionibus, in dies oriebantur: dum quidam occulte resignantes, post resignationem, non solum fructus ex beneficiis jam resignatis provenientes indebite percipiebant; sed etiam (quod pejus est) tanquam veri prælati, vel beneficiarii, sacramenta ministrabant, in maximam animarum periculum, et scandalum plurimorum; ut itaceantur alia gravia incommoda, quæ sanctissimus Pontifex in citata constitutione sua uberius deplorat.

128. *Publicatio resignationum, juxta constitutiones apostolicas est faciendæ, et cur?* — Concordat bulla Gregorii XIII, quæ incipit, *Humano vix judicio*, ac refertur tum a Parisio, loc. cit., n. 5, tum in tom. II, in *Bullario Romano*, constitut. 83 dicti Pontificis. Et quia isthæc bulla Gregoriana, utpote posterior, simul et rigidior, § 9, expresse abrogat constitutiones tum dicti beati Pii V, tum aliorum Romanorum Pontificum, de publicandis resignationibus emanatas: hinc imposterum de sola bulla Gregorii XIII, erit sermo.

129. *Alioquin invalida est provisio de beneficiis resignatis.* — Altera igitur pars conclusionis, seu quod non facta publicatione resignationis juxta formam præscriptam, invalida existat provisio de beneficiis resignatis; patet ex citata bulla Gregoriana, § 5. Ibi quippe Pontifex annullat omnes dispositiones, et gratias beneficiorum resignatorum, non servata forma ibidem præscripta factas: adeo ut nulla dispositio, « nullaque alia gratia super hujusmodi beneficio, sive jure cesso, iis, quibus concessa fuerit, suffragetur; sed ipsi tales inhabiles et incapaces sint ad hujusmodi beneficia sic resignata, et cessant, quoadcumque obtinenda, illaque sive jura ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiamsi illæ alias nullæ, et invalidæ essent, vacavisse et vacare censeantur ipso: nec resignantibus, seu cedentibus, si postea in sua possessione remaneant, constitutiones de annali, et triennali possessore — nec omnino aliud jus, vel beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa beneficia, sive jura, sic a principio vacantia, a Sede Apostolica prædicta dumtaxat impetrari valeant, ac concedi. » Hactenus Pontifex.

130. *Quorumvis beneficiorum renuntiationes*

sunt publicandæ. — Resp. II. Quorumvis beneficiorum renuntiationes, juxta citatam bullam Gregorianam, sunt publicandæ, sive deinde illa sint simplicia, sive curata, sive electiva, aut jurispatronatus. Ita bulla Gregorii XIII, proxime citata, § 1, ibi: « statuimus, ut posthac omnes, et quæcumque resignationes, etiam causa permutationis, ac commendarum, et etiam litteris Apostolicis non confectis, et possessione non habita, nec non litis, et jurium quorumcumque cessiones, ac retrocessiones, quæ deinceps de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis in nostris, seu Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, ac etiam coram notario publico et testibus fient — publicari debeant cum litteris Apostolicis desuper confectis intra sex menses, si beneficium intra menses fuerit, ultra vero intra novem a data concessionis gratiæ, non autem a die præstiti super ea consensus numerandos. » Hæc ibi. Quod ipsum postea, § 7, extenditur ad beneficia, quæ in manibus ordinariorum collatorum resignari, etiam ex causa permutationis, contigerit; prout amplius, num. 141, dicitur. Nec immerito: nam eadem ratio fraudis urget in quocumque beneficio; unde idem jus statuendum est, l. *Ilud quæsitum*, ff. *Ad legem Aquiliam*. Flam. Parisius, cit. lib. XI, de *Resignat. beneficiorum*, quæst. 3, num. 4; Garcias, part. XI, de *Beneficiis*, cap. III, num. 273 et seqq.; Pirhing, h. t., num. 404.

131. *Et quibus in locis?* — Resp. III. Forma publicandi renuntiationes beneficiorum, quæ in memorata bulla Gregoriana præscribitur, consistit in sequentibus. Primo, quod ipsa publicatio in cathedrali, et in beneficii Ecclesia, vel Ecclesiæ, si in pluribus illud sit, fiat ubique, dum frequens populus ad Missarum solemniam convenerit. Quod si Ecclesia est ruralis, præter publicationem in cathedrali fiat eadem in parochiali, intra cujus limites consistit; et si locus bello, peste, aliisve manifestis periculis subjacet, in proxima parochiali, pariter coram frequenti populo inter Missarum solemniam.

132. *Qua forma?* — Secundo, dicta publicatio debet fieri palam omnibus litteris Apostolicis, earumve transsumptum authenticum exhibendo, claraque et intelligibili voce pronuntiansi resignationem, seu cessionem hujusmodi, ac beneficii qualitatem, et invocationem; nominaque et cognomina resignantis, seu cedentis, ac illius, in cujus favorem gratia hujusmodi facta est. Ita sæp-

bullæ Gregorianæ, § 2. Garcias, ubi supra, n. 274, et alii.

133. *Et quo tempore, loquendo de renuntiatione facta in manibus Summi Pontificis?* — Tertio, hujusmodi resignatio beneficii in manibus Summi Pontificis facta, et admissa, publicari debet, ut supra, intra sex menses, si beneficium citra menses fuerit: si vero ultra menses extiterit, intra novem menses, a data concessionis gratiæ, non autem a die præstiti super eo consensus numerandos. Textus est in citata bulla Gregoriana, § 4, supra n. 130, jam allegatus. Et hoc procedit in resignationibus, quæ fiunt in manibus Summi Pontificis.

134. *Quid dicendum de publicatione renuntiationis quæ fit in manibus inferiorum collatorum?* — Cæterum loquendo de resignationibus beneficiorum, quæ fiunt in manibus inferiorum collatorum, provide statuit Gregorius XIII, in cit. bulla, *Humano vix judicio*, § 7 et 8, quod si beneficia in manibus ordinariorum collatorum, etiam cardinalium, ac etiam ex causa permutationis, resignari contigerit: « ipsi intra mensem negotium universum admissionis, vel rejectionis resignationis hujusmodi, et (si per eos faciendæ erit) provisionis resignati beneficii juxta apostolicas, et alias canonicas sanctiones, omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses a die sibi factæ provisionis illam publicet, et possessionem beneficii capiat, modo, et forma supra dictis: alioquin illis elapsis nulla sit ejus provisio, et beneficium vacare censeatur eo ipso: ordinariique, et alii prædicti, qui hæc, uti eis præscribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam devoluta existat, aut aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat, modo et forma prædictis concedantur. » Ita loquitur sæpe dicta bulla Gregoriana, quam per singulas partes fusius explicat Flamin. Parisius, cit. lib. XI, per totum.

135. *Bulla Gregorii XIII, Humano vix judicio, non videtur ubique recepta.* — Verum, quod memorata constitutio Gregoriana, quoad resignationes, et permutationes beneficiorum coram ordinariis factas, non videatur usu recepta in pluribus locis, in quibus ea nunquam fuit publicata; notat Garcias, cit. part. XI, de *Beneficiis*, cap. III, n. 289, præsertim istud attestans de suo episcopatu Abulensi. Id ipsum pro nostris partibus af-

firmat Pirhing, h. t. n. 109, quamvis Flamin. Parisius, loc. cit. qu. 9, n. 7, asserat eandem ubique esse usu receptam (ADNOTATIO XLI.)

136. *Effectus renuntiationis beneficii, qui? Per eam vacat beneficium.* — Quæritur II. Qui sint effectus renuntiationis beneficiorum, et quando ab ea inducantur? Resp. I. Præcipuus, ac primarius renuntiationis effectus est, quod ea legitime facta, et per superiorem admissa, beneficium resignatum vacare censeatur. Ita Flamin. Parisius, lib. I, de *Resignat. Beneficiorum*, quæst. 5, n. 9, post Bellameram, de *Permutat. benefic.* part. XI, qu. 3, n. 12, et communem aliorum. Idque patet ex c. *Susceptum*, 6, de *Rescript.* in 6, ubi, quod per renuntiationem inducatur vacatio beneficii, non minus, ac per mortem, sæpius repetitur; ut ibi: « Cum non per renuntiationem, sed per mortem vacaverit. » Et infra: « Cum beneficium cessione, non morte vacaverit. »

137. *Et resignans in eo amittit omne jus. Habeturque pro mortuo.* — Alter, et ex priori consequens renuntiationis effectus est, quod resignans post eam rite perfectam amittat titulum, omneque jus in beneficio, una cum possessione civili, ac naturali ipsius. Nam libere resignando beneficium, hisce omnibus renuntiasse convincitur, et censeatur illud habere pro derelicto. Flamin. Parisius, cit. lib. I, quæst. 5, num. 4, et 15, et 36, cum communi. Quinimo clericus quoad beneficium resignatum habetur pro mortuo, can. *In apibus*, § *Ecce in quibus*, 7, qu. 1, juncta Glossa ibid. vers. *Defuncto*. Parisius, cit. quæst. 5, n. 4, allegans plures alios.

138. *Renuntiato admissa excludit a beneficio resignantem, etiam penitentem.* — Tertius renuntiationis jam admissæ effectus est, quod a beneficio excludat resignantem, etiam penitentem, c. *Ex transmissa*, 3, h. t. et ibi Barbosa, n. 4 et 3, citans alios, Zoesius h. t. n. 8, et Sannig, eod. cap. vi, n. 3, junctis dictis supra § 2, n. 38, et seqq. Adeo ut renuntians, etiam invitus, compelli possit ad dimittendam beneficii possessionem. c. *Quidam*, 12, h. t.; Zoesius, et Sannig, ubi supra; Flam. Parisius, lib. III, quæst. 18, n. 48, cum communi. Quod tamen intellige, re non integra, seu postquam renuntiatio a superiore fuit admissa, conformiter dictis supra § 2, n. 38, et seqq.

139. *Alii ejus effectus enumerantur.* — Ulterior, atque ex prioribus promanans renuntiationis effectus est, quod ea perfecta non

amplius possit clericus percipere fructus beneficiales; et, si secus fecerit, teneatur ad restitutionem perceptorum, prout num. 159 et seqq. dicitur. Item, quod resignans non possit ulterius præesse beneficio, peragendo officia ejus, et exercendo curam animarum, ac hujusmodi. Item, quod non amplius absque novo titulo, neque propria auctoritate possit regredi ad beneficium resignatum. Hæc enim, et alia hujusmodi, clare sequuntur ex renuntiatione, utpote tollente omne jus præhabitu in beneficio resignato.

140. *Hosce effectus solum inducit renuntiatio valida.* — Resp. II. Hosce tamen effectus solummodo inducit renuntiatio beneficii valida: secus, quando est invalida, juxta reg. 52 juris in 6. « Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. » Nam paria sunt, non esse, et nullum esse, arg. l. Duo sunt Titii, ff. de Testamentor. tutel. et c. Illud, 8, de Jure patronat.

141. *Invalida non abdicat jus respectu beneficii.* — Hinc resignatio, quomodocumque sit nulla seu invalida, jus respectu beneficii non abdicat a resignante. Flamin. Parisius, lib. I, de Resignat. Benefic. quæst. 3, num. 98, et seqq. asserens hanc esse communem opinionem, atque ita pluries fuisse decisum in Rota. Dummodo (limitat hoc ipsum Parisius, ibid. num. 118.) resignans scienter non resignet nulliter: nam tunc abdicat jus, prout fuit sententiatum in Rota Romana canonicatus, 17 novemb. 1567, coram D. Seraphino.

142. *Putat, si fiat in manibus non valentis eam recipere, aut laici.* — Hoc ipsum amplius declaratur exemplis. Sic loquendo de resignatione simpliciter, ac pure facta, non abdicatur jus, quando ea fit in manibus non habentis facultatem recipiendi renuntiationem beneficii. Guido Papa, consil. 172, n. 1. Flamin. Parisius, loc. cit. num. 97.

143. *An talis resignatio teneat in præjudicium resignantis, et qualiter?* — Atque hoc intellige cum Glossa in c. Quod in dubiis, vers. In manum laicam, h. t. ibid. et Abbate, n. 3, et 8, et aliis, quod ejusmodi renuntiatio facta non in manu superioris, non teneat, neque jus abdicet in præjudicium Ecclesiæ, vel superioris; quia adhuc, si velit, potest libere revocare resignantem, cap. I, et c. Admonet. 1, h. t. cum concordantiis. Tenet tamen ejusmodi resignatio in præjudicium resignantis: saltem in eo sensu, quod ipse

in pœnam delicti possit beneficio privari; puta, si istud resignavit in manus laici, cit. c. Quod in dubiis, h. t. vel quod superior possit resignationem hujusmodi ratam habere, Abbas, loc. cit. et c. Quod Dei timorem, n. 4, de Statu monach.; Garcias, part. XI, de Benefic. cap. III, n. 226, post Rotam, decis. 1, de Renuntiat. in antiq. et alios. Nisi forsitan resignans re integra pœniteat, et ante admissionem superioris, mutata voluntate, factam temere resignationem revocet: hoc enim re integra fieri potest. Rota cit. decis. 1, et decis. 3, n. 2, In antiq.; Garcias, d. cap. III, n. 227, allegans alios.

144. *Nec per renuntiationem simoniacam jus abdicatur.* — Similiter non abdicatur jus beneficii per resignationem simoniacam. Talis enim ipso jure non valet, Extravag. Cum detestabile de Simon, inter communes: adeo ut nec teneat in præjudicium resignantis, ac proin per eam non abdicetur jus ab illo; prout ex professo tradit Nicol. Garcias, part. X, de Beneficiis, cap. III, n. 214, citans Rotam decis. 7, de Renuntiat. in antiq. alias 236, cum aliis pluribus. Idipsum docet Rebuffus in Praxi benef. tit. de Modis amittendi beneficia, Glossa in c. Super hoc, vers. Pecunia, et Barbosa, ibid. n. 12, de Renuntiat.; Flamin. Parisius, lib. IX, de Resignat. benefic. qu. 9, n. 4; Navarrus, cap. XXIII, Manual. n. 105, et consil. 36, n. 2, de Simonia, et plures alii; nonnullis tamen dissentientibus, quos citat Garcias, ubi supra, n. 213.

145. *Tamen simoniace resignans potest privari beneficio.* — Ultro tamen omnes doctores, præsertim proxime allegati fatentur, quod licet ita simoniace resignans beneficium, istud ipso jure non perdat, nihilominus in pœnam tanti criminis possit eodem per judicem privari. Atque etiam, quod is non possit repetere beneficium a resignatario, vel alio possessore ipsius, allegando, renuntiationem fuisse simoniacam, et sic per eam non fuisse jus a se abdicatum: siquidem, etiam seclusa privatione per judicem facta, allegans propriam turpitudinem non auditur. Garcias, loc. cit. n. 218; Rebuffus in Praxi beneficiar. tit. de Timonia in resignat. n. 2, allegans alios.

146. *Renuntiatio beneficii ex causa permutationis, quando abdicet jus?* — Loquendo insuper de resignatione conditionali, declaratur data conclusio exemplis. Sic quippe per renuntiationem ex causa permutationis factam, non abdicatur jus in beneficio, donec

sequatur permutatio ex parte alterius et fiat utrinque collatio: antea enim nondum est valida, nec completa permutatio, c. Cum universorum, 8, de Rerum permutat. et Clem. in eod. Pirhing h. t. n. 120.

147. *Et quid dicendum de aliis renuntiationibus conditionatis? Conditio est servanda in forma specificata.* — Insuper, quando facta est resignatio beneficii in favorem tertii, ea non valet, neque abdicat jus a resignante, si hoc alicui alteri, quam in cujus favorem resignatum fuit, conferatur. Flamin. Parisius, lib. III, de Renuntiat. benefic. quæst. 3, post Rotam in una Bononiensi, Transactionis bonorum, coram card. Aldobrandino, 1579, et communem opinionem doctorum. Idemque accidit in aliis renuntiationibus conditionatis, ut puta, factis cum reservatione fructuum, vel pensionis; nam, si non fuerit reservatio adimpleta, resignatio est nulla, sicque resignans retinet suum beneficium. Siquidem perinde est, ac si resignatio facta non fuisset, si conditio non adimpleatur: conditio enim suspendit actum; estque ejus naturæ, ut sit servanda etiam in forma specificata, l. Mævius, et l. Quæ hæredi, § 1, ff. de Conditionib. et demonstrat.; Flam. Parisius, cit. quæst. 3, n. 8, et seqq. post Rotam, decis. 4, de Rerum permutat. in antiq. et communem doctorum.

148. *Ut renuntiatio beneficii operetur suos effectus, debet ejus admissio esse intimata resignanti.* — Resp. III. Ulterius, ut renuntiatio beneficii inducat memoratos effectus, requiritur non solum, quod fuerit admissa a legitimo superiore (antea enim non valet, c. Admonet. 4, h. t. cum similibus), sed etiam, quod ejus admissio fuerit intimata resignanti, si absens est, puta, quia per litteras resignavit. Ita Rebuffus, in Praxi benef. tit. de Simonia in beneficio, n. 40 et 41. Et merito: nam antea resignans ignorat utrum sua resignatio fuerit admissa a superiore: neque tenetur credere cuilibet narranti, donec bulla admissionis eidem præsentetur; quia admissio superioris debet ipsi esse nota ut resignanti, seu legitime, arg. l. Hæc autem, § Non defendi, ff. Quibus ex causis in possessione eatur.

149. *Atque acceptata a resignatario, si est facta in favorem tertii.* — Quinimo si resignatio est conditionalis, seu facta in favorem tertii, insuper requiritur, quod resignans sciat resignatarium acceptasse factam in sui favorem resignationem, ipsasque litteras desuper esse executioni mandatas, et bene-

ficiam resignatario acquisitum: et ideo, donec omnia hæc ipsi resignanti fuerint intimata, poterit is recipere fructus, et alia facere in beneficio tanquam verus prælatus, pastor seu beneficiarius. Ratio est, quia adhuc penes ipsum resignantem remanet jus et possessio beneficii in pendenti, donec conditiones purificentur, easque purificatas cognoverit. Rebuffus, loc. cit. n. 41. post Philippum Francum in c. Ut nostrum, vers. Hoc tamen, de Appellat.; Barbosa, lib. III Jur. ecclesiast. univ. cap. xv, n. 75, allegans Rotam coram Gregorio XV, decis. 259, n. 6; Nicol. Garcias, part. II, de Beneficiis, cap. I, n. 141, et part. VI, cap. II, n. 126.

150. *Clericus resignans lucratur omnes fructus beneficii ante resignationem perfectam maturatos, etc.* — Quæritur III. Utrum clericus beneficium resignans, possit percipere fructus ejus? Resp. I. Resignans beneficium lucratur omnes fructus ejus, tum naturales, ac industriales a solo separatos, tum etiam civiles ante resignationem undequaque perfectam maturatos; hique omnes ad ipsum spectant. Ita Joan. Carolus Antonellus in tract. De Regimine Ecclesiæ episcopalis, cap. x, n. 1 et 2, allegans Ludov. Perusinum, decis. 33, et Rotam apud Pacificum, de Salv. interd. decis. 225. Ratio est: quia beneficiarius resignans retinet adhuc jus in beneficio, teneaturque ad omnia ejus officia, oneraque præstanda, donec resignatio sua per superiorem admissa fuerit; et, si sit conditionalis, aut in favorem tertii, ea etiam a resignatario acceptata, seu conditio purificata existat, sibi que de his omnibus debita fiat informatio, ut proxime dictum; ergo etiam tamdiu clericus resignans lucratur fructus; tum, quia propter officium datur beneficium, cap. ult. de Rescript. in 6; tum, quia secundum Apostolum, « qui altari servit, vivere debet de altari: et qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede, » c. Cum secundum, 16, de Præbend. et I Corinth. ix, 13.

151. *Limitatur istud in fructibus mensæ capitularis adhuc indivisis annorum præcedentium; hi enim debentur canonicis, qui tunc sunt tempore divisionis; non autem iis, qui fuerant illis annis.* — Limitatur tamen præsens conclusio in fructibus mensæ capitularis adhuc indivisis. Et enim fructus annorum præcedentium, qui primum hoc anno dividuntur inter canonicos, debentur solum canonicis, qui nunc sunt tempore divisionis eorum; non autem iis, qui fuerant illis annis: ac proinde,